

Deus me segregavit de utero matris meæ.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Gálatas 1, 11-20

Fratres:

- ¹¹ Notum vobis fácio evangélium, quod evangelizátum est a me, quia non est secúndum hóminem;
- ¹² neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, sed per revelatióne Iesu Christi.
- ¹³ Audístis enim conversatióne meam aliquándo in Iudaísmo quóniam supra modum persequébar ecclésiam Dei et expugnábam illam
- ¹⁴ et proficiébam in Iudaísmo supra multos coætáneos in génere meo, abundántius æmulátor exsistens paternárum meárum traditiónum.
- ¹⁵ Cum autem plácuit Deo, qui me segregávit de útero matris meæ et vocávit per grátiam suam,
- ¹⁶ ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum in géntibus, contínuo non cóntuli cum carne et sanguine,
- ¹⁷ neque ascéndi Hierosólymam ad antecessóres meos apóstolos, sed ábii in Arábiam et íterum revérsus sum Damáscum.
- ¹⁸ Deínde post annos tres ascéndi Hierosólymam vidére Cepham et mansi apud eum diébus quíndecim;
- ¹⁹ álium autem apostolórum non vidi nisi Iacóbum fratrem Dómini.

²⁰ Quæ autem scribo vobis,
ecce coram Deo quia non méntior.

Verbum Dómini.